

ARTICVLVS II.
DE
RESPIRATIONE.
EXPERIMENTVM I.

Si aër per pulmones adhuc calentes flatu immittitur, ac lento motu per horum substantiam premitur, vasa pulmonalia sanguinis majora penetrat, et in cordis cavitatibus percipitur.

EXPOSITIO.

Demonstrare hoc modo possumus usum respirationis primum, qui in circuli sanguinis promotione consistit, quatenus aër in respiratione receptus, per intermedios pulmones cum massa sanguinea communicatur, eandemque elatere ac pressione non solum in motu adjuvat, verum etiam contra aëris exterioris vim defendit. Viae vero, per quas aër in pulmonibus sanguinem intrat, sunt trachea et ejus ramificationes, bronchia, quibus appendent vesiculae, ex quibus tota pulmonum substantia conflata est. Quae inflatae aërem, in bronchiorum tenerrimis et exilissimis ramificationibus divisum, venulis, quae pulmonum vesicularem substantiam concomitant et cingunt, per poros foras introspicientes tradunt, ex quibus demum per truncum venae pulmonalis ad cordis cavitates advehitur. Dum de viis respirationis verba facimus, circa Tracheam duplex occurrit error, Tracheam enim nos hunc asperum ductum et canalem merito appellamus, quo jure vero aspera arteria dicatur, non intelligimus, quia neque officium neque phaenomena arteriae sustinet. Officium arteriae enim
est